



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum sacerdos secundum proprium arbitrium possit ligare & soluere? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

Vnum sacerdos possit ligare & soluere, secundum proprium arbitrium?

71

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod sacerdos possit ligare & soluere secundum proprium arbitrium. Hieronym. enim dicit †, Mensuram temporis in agenda pœnitentia, ideo non satis aperte præfigunt canones pro vnoquoque crimine, vt de singulis dicant qualiter vnoquoque sit * emundandum: sed magis arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt. Ergo videtur quod ipse secundum suum arbitrium possit ligare & soluere.

*†refertur in decre. de pœnit. d. 1. can. 85 incip. Mensurâ autē. Et citatur à Magis. 4. sent d. 20 § C. in fi. * Alias emendandum.*

¶ 2 Præterea, Dominus † laudauit villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset, quia debitoribus domini sui remisisset largiter. Sed Deus est magis propius ad miserendum quam aliquis dominus temporalis. Ergo videtur, quod laudabilior sit sacerdos, quanto plus de pœna remiserit.

¶ 3 Præterea, Omnis Christi actio nostra est instructio. Sed ipse quibusdam peccantibus nullam pœnam imposuit, sed solum emendationem vitæ, vt patet de adultera, Ioan. 8. Ergo videtur, quod secundum arbitrium suum possit etiam sacerdos, qui est vicarius Christi, dimittere totam pœnam, vel partem.

**refertur in decre. de pœnit. d. 5. cap. Falsus. Et lib 4. sent d. 16 parag. B.*

SED contra, Greg. dicit *, Falsam pœnitentiam dicimus, quæ non secundum auctoritatem sanctorum Patrum, pro qualitate criminis imponitur. Ergo videtur, quod omnino non sit in arbitrio sacerdotis.

¶ Præterea, Ad actum clauium requiritur discretio. Sed si esset omnino in voluntate sacerdotis dimittere & imponere de pœna quantum vellet, non esse ibi necessaria discretio; quia numquam ibi discretio posset accidere. Ergo non est omnino in arbitrio sacerdotis.

RESPONDEO dicendum, quod sacerdos operatur in usu clauium sicut instrumentum & minister Dei. Nullum autem instrumentum habet efficacem actum nisi secundum quod mouetur à principali agente: & ideo

**In c. vltimo p. 3. a medio illius.*

Rom. 8.

Eodem loco nunc dicto.

ideo dicit Dionysius* in fine Ecclesia hierarch. quod sacerdotibus utendum est virtutibus hierarchicis, quomodo diuinitas eos mouerit. In cuius signum, Matth. 16. ante potestatem clauium Petro traditur, fit mentio de reuelatione diuinitatis ei facta. & Ioh. 20. praemittitur potestati remissionis Apostolis datur Spiritus sancti donum, quo filij Dei aguntur. Vnde si quis praeter illum motum diuinum vii sua potestate praesumpserit, non consequeretur effectum, ve Dionysius dicit †; & praeter hoc a diuino ordine auerteretur: & sic culpam incurreret. Et quia poenae satisfactoriae infligendae, medicinae sunt: sicut medicinae in arte determinatae, non omnibus competunt, sed variandae sunt secundum arbitrium medici, & propriam voluntatem sequentis, sed scientiam medicinae: ita poenae satisfactoriae in canone determinatae, non competunt omnibus, sed variandae sunt secundum arbitrium sacerdotis diuino instinctu regulatum. Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quae ad morbi curam nem sufficiat, ne propter debilitatem naturae periculum oriatur: ita sacerdos diuino instinctu motus non semper totam poenam, quae vni peccato debetur iniungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine poenae desperet, & a poenitentia totaliter recedat.

Ad primum ergo dicendum, quod arbitrium illud debet esse diuino instinctu regulatum.

Ad secundum dicendum, quod etiam de hoc datur villicus, quod prudenter fecit: & ideo in remissione poenae debita discretio adhibenda est.

Ad tertium dicendum, quod Christus habuit potestatem excellentiae in sacramentis: vnde ipse ex auctoritate poenam totam, vel partem poterat dimittere sicut volebat. Non est ergo simile de his operantur tantum vt ministri.

QVÆ